

ratis, quibus nimirum per totum fere semestre effluxum ornavistis prorectoralem provinciam decessoris, e cuius manibus fasces Academicos accepi, *Joannis Rudolphi Eckermann* Viri summe reverendi mihi que in primis multis nominibus cari et venerabilis; atque, ne multa, praeter haec fausta et auspiciatissima omina in eximia spe exinde percepta, diu, cui voto *Deus Optimus Maximus* annuere velit, perduratura esse non solum nostra sed totius adeo patriae beneficia, quibus res publica nostra litteraria facta, tecta, laeta magisque subinde instructa in cultum scientiarum atque in spem maioris splendoris in dies crescentem evecta continetur — Vota non solum mea, sed etiam *Vestra, Patres ac Cives*, quid? universae patriae, quae non nisi *Rege Augustissimo Magnificentissimo* salvo salva esse potest, nunc publice exsolvo et exprimo, dum *Deum* immortalem supplex veneror pieque obsecro, ut *Regi nostro optimo*, cuius gloria ex amore patriae, cuius beneficio vere Regio multa atque magna commoda et ornamenta universitatis nostrae iam evenerunt, et maiora indies adhuc ominari licet, etiam imposterum sit propitius eique omnis generis salutem et felicitatem largiri velit; principibus Regiis Augustam fortunam; universae domni Regiae prosperam